



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 24. Sinistra Cæsaris de hoc Cardinale suspicio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI
A.C. 1554.

*Becatel. in
vita Poli.*

nalis precibus deferebat, ut etiam illum per Franciscum Stellam admoneri curaret, quatenus in hac occasione Ecclesiæ tantopere utili animum non desponderet, sed potius eam constantiæ, ac firmitatis laudem conservare niteretur, quam integro vitæ suæ curriculo sibi comparasset, cum Religionis causa suam patriam, bona, omnesque sibi Sanguine junctos reliquisset. Eam proinde famam suam non obfuscaret, nec se tereri permetteret repulsa, ac remissiore affectu cujusdam Principis semivivi (Carolus V. significabat infirmitatibus pene confectum) sed contra virili prorsus constantia suo insistere proposito, suamque patriam, totumque Regnum Ecclesiæ restitueret.

§. XXIV.

*Sinistra Cæsaris de hoc Cardinale
suspicio.*

*Pallav. l. c.
n. 2. & 3.*

Verum omnes hæ Pontificis rationes nondum sedare poterant turbatum Cardinalis animum; variis enim ex locis nuntiabatur, quod Cæsar illum a sui propositi executione avertere moliretur: insuper Polus existimabat, minus inferri dedecoris Sedi Apostolicæ, si ab eodem Pontifice revocaretur, quam si aliorum vilipensionem exponeretur: quinimo sibi persuasum habere

habebat Cardinalis, quod longe utilius hoc negotium expediri posset ab aliis, quam a seipso, cum nil nisi inanem Legati titulum præferens rei gerendæ auctoritate destitueretur. Referunt insuper nonnulli sinistram Caroli V. de Polo suspensionem magis adhuc auctam ex sparso rumore, quo ferebatur, a quodam Poli Nepote, qui Dilingæ hærebat, Mariæ Reginæ vitio datum, quod ipsa se, suumque Regnum extero Principi subjiceret. Præterea alius ejusdem Cardinalis Nepos hæc nuptias tam iniquo animo tulisse dicebatur, ut propterea ex Anglia secederet, atque in Gallias veniret ad Avunculum suum, a quo tamen propterea repulsus fuerat. Denique ipsimet Polo crimini datur, quod in quodam convivio Dilingæ liberius contra hoc matrimonium reclamavit: licet id mere confictum fuisse, in quadam epistola testaretur Cardinalis, unice factus, quod suam desuper mentem aperire noluerit.

§. XXV.

Polus iter in Angliam aggredi paratus.

Nihilominus Cardinalis, cum se ad perficiendum Legationis suæ negotium crebris literis a Papa sollicitari cerneret, tandem ad Philippum Regem literas

*Pallav. l. c.
cap. 9. n. 4.
Ex lit. Poli
ad Papam
14. & 15.
Oftob. 1544.*